

mationem per vniuersum regnum instituit; ita tamen vt publicæ tranquillitatis ratio haberetur, nec mutatio (quæ, si subita, solet esse periculosa) in Religione confertim, sed per gradus fieret, & doctrina immutata, maneret tamen facies externa fere eadem, quæ prius fuerat, eo consilio credo, vt ad tempus plebis animi cicurarentur, & prius per lenientia Ecclesiæ vulnus iretur, quàm ad auxilia in totum curantia procederetur: mansit enim Episcoporum dignitas & potestas par; eadem pompa; externi iidem propemodum ritus, gestus, vestis, & ornatus; eademque nomina retenta. Nec in prima hac reformatione itum est obuiam abusibus litium circa curionatus, commenda, & beneficiorum multitudinem, quam vnus homo possidet; nec cautum est vt Episcopi & Curiones officio tantum pastorali fungerentur, & in sua quique statione vigiles excubarent, abiecta cura rerum ciuiliu: neque eliminatus est ab Ecclesia abusus circa Excommunicationes, rerum sacrarum turpem mercaturam, censuras Ecclesiasticas, Ministrorū electionem & Episcoporū

rib